miraculorum uim et Authoritatem. O Eusebi quam tibi
coronam quam tibi gloriam in Cælis interea comparasti, qui
enim ad iuſtitiam erudiunt multos fulgebunt quasi ſtellæ
in perpetuas æternitates, fulgebis itaq; tu Eusebi fulgebis
qui per annos omnino viginti plurimos ad iuſtitiam erudi-
isti, à vitiis reuocasti, ad virtutem reduxisti, sed ne
quis priora ueluti per coniecturas tantum à nobis dicta
exiſtimet audite præclara iterum teſtimonia, quæ sic hab-
ent, licèt autem montis antro propria ſponte uellet includi,
plurimi tamen hominum siue salutis accepturi monita,
seu quæsituri solàtia frequenter ad eum ventitabant,
quos ille pro sua pietate nunquam nisi lætos abs se dimis-
it, ita ne nunquam nisi lætos dimisit? quid moramur
Studi:? quid tanquam rationis expertes nobis ipsis consulere
nescimus? si námq; exteris gentibus tam benignus támq; sal-
utaris extitit, quid filiis S. Galli quid amantiſſimis suis
poſteris suis fratribus faciet? si hæc tristi adhuc corporis erg-
aſtulo detentus, si in terra miseriæ fecit, quid nunc quanto
magis et copiosius in Cælesti gloria, in gaudio beatorum
ſpirituum potitus, in summa fœlicitate collocatus ubi et
potest et uult omnibus opitulari, faciet? quid moras in-
epti trahimus? ite, currite quos absorbere tentat tristitiæ
fluctus, portus erit. ite quos Stygius venator tentationum
laqueis persequitur, asylum erit. ~~[illegible]~~ labore premeris?

Lizenz: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 328r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/de/zbz/D0147/328r)